Roma - 1616 - Mathiae I

MATTHIÆ I.
CAESARI AVGVSTO
ODAE
Ad modos dictæ
ERNESTO COMITE IN ŐTTINGEN.
de uniuersa Philosophia
publice disputante
In Aula Coll. Rom. Soc. Iesu
ROMÆ
Apud Iacobum Mascardum
MDCXVI
M. Greuter f.

PRAELVSIO.

IRVM sanè, Cardinales Amplißimi, dum alia oriuntur, occidunt alia, ac suos quæque fines magno succedentium sibi Causarum ordine percurrunt; quod in in tanta dilabentium corporum varietate stabilis, & constans naturalium rerum vicißitudo sit: atque in huius tanquam fabulæ actione communi permutatis subinde actorum partibus, eadem nihilominus scena vniuersitatis appareat. Sed hoc illa ipsa rerum non deficiens efficit procreatio; atque ad tolerandum interitus dolorem mortalibus Natura acerbißimi vulneris remedium comparasse visa est, cum, quibus ademit immortalitatem, ijs perpetuam vim propagandi generis, atque à se aliena producendi non ademit: Corruptio enim

Huius Generatio alterius est corruptio Arist. Text. 17. primi de Generat.

A *vnius*

vnius alterius generatio est; idq; oraculo verius à Philosophorum Rege Aristotele pronunciatum, omnibus magistro suffragantibus, nescio tamen quomodo facta sapientium seditione aduersis pauci clamoribus excepere, quibus ego nequaquam soleo commoueri; tametsi noua me perturbant ex alio terrarum orbe conuecta miracula: quæ sane regiones non tam auri sunt ac gemmarum, quam mendaciorum interdum feraces è longinquo. Viuunt Animantes in Iaponia haud multum à Lupis, & Canibus magnitudine ac figura Corporis abhorrentes. Terrestres illæ quidem bipedum, & quadrupedum more viuunt; sed ad mare delapsæ, leui primum natatu explorant aquas, tum oblitæ terrarum in marinæ belluæ formam squamatim corio loricato maritimis se gregibus adiungunt, & Oceani amplissima spatia recentiores accolæ perlustrant. Quod si Animantes aquatiles differunt à terrestribus, cur igitur ex vnius ad alterius naturam fit gradus non corrupta priore?

Audio

Audio, & nouas ambages vno verbo dissoluo: nam amphibiæ quæ dicuntur animantes maria terrasq. peruadunt, terram incolunt, & quà proximum est sese Aquis immergũt. Næ igitur male conficies ex durata in squamas cute recentem animam cum altera seniore in commune hospitium conuenire; vna quippe vtrique corpori animando sufficit. Aliud est, quod naturæ interdictum, permissum verò vnius familiæ immortalitati & gloriæ nemo admirari non potest. Neque enim si naturalium corporum statos cursus, ordinesque respicias, in hac morientium, & nascentium rerum permutatione, omnia progigni ex omnibus, aut homine vel igne corrupto, statim videbis ignem, vel hominem procreari. At vide Cæsarianos fasces, insitam Austriaco generi aliquot ante seculis Augusti nominis maiestatem. Silent ibi Naturæ leges fatali quodam nexu obstrictæ latentium Causarum. Deficiente Cæsare Cæsar prodit idem genere, virtute, fœlicitate. Rudolphus imperatorias primus

 secures

ſecures adeptus ampliſsimæ dignitatis gloriam transſmiſit ad poſteros. Iam duorum fere ſeculotum ætatibus aliud ex alio imperium naſcitur, continuatis faſcibus Auſtrianorum; vt is demum noſtro æuo regnaret, quem Religio, quem vota Germaniæ, quem Ciuiles bellicæque virtutes Cæſarem ante feciſſent, quam ſuffragatorum Principum voluntas. Ille verò affulgente veſtra luce, Cardinales Ampliſsimi, votis aderit hodierna die priuatim meis qui communibus populorum non defuit: eiuſque vis ac dignitas tantam me ad ſpem laudis erexit, vt videatur ex ancipiti diſputatione certam mihi lauream non facultas ingenij, non præteritorum contentio ſtudiorum, ſed ſolum Auguſti Matthiæ patrocinium polliceri.

ODE

ODE I.

SCRIBE regali modulata versu

Clare Etingeni Comes ò Sueui

Nomina, audentem mouet Austrianæ

Gloria laurus.

Non fugit docti sonitum Lycei

Bellicus Pæan, recinensq. Virgo,

Atque adorantum, Domini verendas

Ora curules.

Hic & Augustæ resonat thyaræ
Cæsarum nutrix, simul & Boëmi
Alta regnatrix, geminiq. contra
Fœmina martis.

Hanc pauet limphæ trepidantis Ister
Hungarus, fortes agit illa Dacos,
Si mouent duro furibunda bello
Agmina Lunæ.

Aere mentitos subeunte vultus
Callidus docta simulare dextra
Miscuit pictis peritura numquam
Verba labellis;

O triumphali venerate ſigno
Cæſar, ò Mundi decus, & vocatum
Gentibus victis iubar, inuidenti
Proxime Phœbo:
Thracio quantus metuenda Cælo
Lumina arctoos aperis in axes?
Vnde Othomanos iaculata currus
Luna recondit.
Senſit aduerſis vaga ſub tenebris
Luce quid poſſes, Scythiæ pruinis
Vt male accenſo fugitiua diſtent
Sidera crine.

At tuus flammæ nitor æmulantem
Prouocat Solem, iacit & timenda
Fulgura; heu Thracæ pauor, ac sequaces
Fulminis iræ.

Ite, montanis tumefactus vndis
Qua ferit campos, geminusq. ponto
Discidit vasto procul arua cornu
Hungarus Ister:

Quaque Tibiscum vorat, & feraces
Mœsiæ valles, grauiorq. fluctu
Bosphorum longè ferus vsque Dacis
Frangit ab aruis.

Cer-

Cernere hic latis geminata campis
Funera & ſtrages Aſiæ calentes,
Siue inundanti dabitur ſepultas
Sanguine turmas:
Siue diſrupto patefacta vallo
Oppida, aut fractos quatiente muros,
Aut reclinatas apicem tremendo
Cæſare turres.
Non duces quiſquam, neque militares
Dexteræ iactet ferientis artes;
Vnus in cunctis fremit, vnus ardet
Cæſar in armis.

Solus hic palmæ decus, hic honores
Abſtulit pugnæ, trepidosq. longè
Diſſipat vultu, propiorq. ferro
Demetit hoſtes.

Ille ſi fortes humeros aënis
Horridus ſquamis, galeamq. læuem
Igneus toto Ioue fulminantem
Torqueat haſtam:

Nulla ſic flammis tonat euolutis
Machina eliſas imitata nubes,
Orta cum late lacerant paternos
Fulmina Cauros:

Ille,

Ille, ſi ferro vibrat, & ſonantem

Aegidem pectus, clamydemq. gemmis

Induit textam, iubar & nitenti

Fulguratære:

Siue cum frenos Equus imperantis

Audiens palmæ, dominum ſuperbo

Arduus dorſo leuat, & grauanti

Ingemit auro;

Non ita inuectus ſuperos in orbes

Ora criſtato rubicundus aſtro

Exerit Mauors, rigidamq. ſignat

Sanguine lucem.

Tuq.

Tuq. periuris Solimane caſtris
Hungaros numquam, miſeramq. Budæ
Falleres raptam puero gementi
Fraudibus arcem:

Tuque defenſo male tuta regno
Luderes victos Iſabella Thraces,
Exules nati ſequerere numquam
Fœmina cunas,

Si ducem totis periturus Iſter
Fontibus, Martis valide mouentem
Signa Matthiam, refugos dediſſet
Ire per hoſtes.

Ergo

Ergo bis fractos Amurathe fasces
Contrahis bello, legis & Sinanis
Pallidus signis lacerata Thressæ
Cornua Lunæ.

Alba regales aperit recessus
Buda nec tu Strigonio volantes
Cæsarum pellis, Iauarine adoras
Monte volucres.

Tu diu serues animose iustas
Cæsaris leges; satis hoc fugaces
Terreat nomen, moueatq. frustra
Thessalus arma.

Vbe-

Vberes contra meditata fruges
Fauſtitas lætis propior Boëmis
Additam largè teneat ferentem
Munera Pacem.

Candidos illic Pietas, Fidesq.
Nutriat mores, Stygis atque puras
Nutriat mentes cohibens auernæ
Dypſadis ora.

Thracis hæc iuſto rediens triumpho
Secla Germanis iubet ire Cæſar,
Tempora hæc armis aget Auſtrianis
Subditus Orbis.

ODE

ODE. II.

EST & ſuperbis laurea vatibus

Aeterna cuſtos addita Carmini,

Innexa Cæſar complicatos

Quæ religat tibi fronde crines.

Inſunt coronis ſigna virentibus

Paci & triumphis proſpera bellicis,

Queis tutus, ingenteſque Mauors

Senſit opes, & amica Pallas.

Mauors

Mauors quieto fortia ſeculo

Nigros ad Indos prælia verterat,

Ni Theſſalum, ſeptemque Cæſar

Sæpe manu quateres Triones:

Ni diſſipati cornua ſideris

Retuſa vallo fregeris arctico,

Gentemquè pugnacem remiſſo

Luna fugax reuocarit arcu.

At bellicoſo martia puluere

Lætas in Vrbes agmina cum vocas

Victor, triumphaleſque circum

Pax vehitur venerata currus:

Muſas

Musas inermes blanda per otia
Vltrò tueris; non alio magis
Duce auspicatas culta Pallas
Ingenijs agitauit artes.

Doctrina curis addita fortibus
Magnæque cultrix vis Sapientiæ
Molitur æternos honores
Illa sibi, meritamque laudem.

Tu, quos benigno lumine sospitas
Multo prementes pectus Apolline,
Multo canentes, fingis olim,
Perque tuas dabis ire lauros.

Tu,

Tu, quos tumultu Xyſtus amabili

Frequens coercet, munere dum ſoues,

Et illi adorantes in æuum

Cæſareas memorant volucres.

GRA-

GRATIARVM ACTIO.

EXemplo doctissimi viri, in consimili causa Ego vobis Cardinales Amplissimi, præter mei facti, & huius fortasse temporis rationem (horreo quemadmodum accepturi sitis) ego inquam gratias non ago: Si enim placui disserendo, mea iam disputatione gratias egi : si non placui, ex offensione gratias non debeo. Vt vt res est, malus sim Philosophus, si exaggeratam tanti beneficij magnitudinem paucis atque inanibus verbis æquari putem. Ab hac mihi luce gratias agendi idem erit limes, qui futurus est vitæ : vel certe is, qui semel pares reddere potest, vobis referat Matthias Cæsar.

Imprimatur , si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatij Apostolici .

Cæsar Fidelis Vicesgerens .

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Romanus Mag. & Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius , Ord. Prædic.

ROMÆ, Typis Iacobi Mascardi . MDCXVI.

Superiorum permissu .